Relatio (Brevis) ~~relatio~~ processionis a. d. 1622. d. 8 Maii Romae celebratae etc.

BREVIS RELATIO.

PROCESSIONIS

ANNO DOMINI 1622. DIE 8. MAII, ROMÆ CELEBRATÆ.

OB STVPENDAM BOHEMIÆ HÆRETICORUM, ac rebellium propè Pragam, Diuinitus reportatam debellationem.

CVM IMAGO DEIPARÆ VIRGINIS à Victoria dicta, in Ecclesia S. Pauli, Montis Quirinalis Patrum Carmelitarum Discalceatorum collocaretur.

Romæ Italicæ Impressa de Superiorum venia eodem Anno.

Posnaniæ verò Latinitati donata Anno Domini 1624

POSNANIÆ. Sumptibus Joannis Wolrabi.

Admodum Reveren: Domino:

D. VALENTINO SCZAWINSKI,

Archidiacono vniouienſi. Canonico Culmenſi. Parocho & Archipresbitero. Torunenſi. S. R. M. Secretario.

Domino & Patrono Colendiſsimo:

Dedico

JOANNES WOLRAB
Typographus Poſnani:

Beneuolo

BENEVOLO LECTORI.

ALIQVOT ANNI SVNT AMICE Lector, ex quo magna pars Christiani Orbis, nostris id peccatis exigentibus, quam horrendum sit incidere, in manus DEI viuentis, magno suo cum dispendio experitur. Vix vt aliquod Regnum reperias, quod non irati Numinis plagas sentiat: adeò quippe atrocia & diuturna bella, fames, pestis, quæ multis in locis grassatur, inundationes aquarum insolitæ, ac plurima id genus, satis manifestè indicant, quàm acerbè nostris piaculis supernam contra nos irritauerimus Maiestatem. Verùmtamen Clementissimus Deus, qui cùm iratus fuerit misericordiæ recordatur, hisce etiam calamitosis temporibus, nonnulla suæ benignitatis ergà Genus humanum, eaq; non vulgaria præbuit argumenta, quibus in vlteriorem spem eius Pietatis erigeremur, ne perpetuis attriti ærumnis, animum penitùs desponderemus, vt iure meritò exclamare possimus, illud Psalmi 22. Virga tua, qua iustissimè nos feris? & baculus tuus, quo debilitatem nostram, ne collabatur, clementer fulcis, ipsa nos consolata sunt. Porrò inter hæc supernæ munificentiæ testimonia, non postremum locum habent duo hæc.

Primum est, mirabilis illa victoria, quam Exercitus Cæsareus Anno Domini, 1620. die 8. Nouembris ex Friderico, quondam Palatino Rheni, ac vniuersis Hæreticis & rebellibus Bohemiæ, apud

Pragam retulit, idq; media quadam Imagine Sacratißimæ Cælorum Reginæ, Deiparæq; Virginis, cuius proprium est, cunctas Hæreses interimere in vniuerso mundo. Huius ergò sacræ Imaginis inuentionem in Prælio exhibitionem, victoriamq; eius beneficio cælitus datam: sed ipsam præsertim Translationem, ac honorificentißimam eiusdem, Romæ, depositionem, compendiosè hic tibi describimus, Amice Lector, ne nouum hoc, antiquæ, Deiparæ Virginis, ergà Catholicos Pietatis pignus, Poloniam nostram lateat; vt innumeris non solùm pressa, sed planè oppressa calamitatibus, in spem cælestis adiumenti, si illud submissè Virginis interuentu requirat, assurgat.

Alterum est Diuinæ Clementiæ, his postremis temporibus ergà nos argumentum, quòd hæc sterilia Ecclesiæ suæ tempora, nouo Martyrum inclytorum sanguine, in Persidis Regno, irrigare & fæcundare dignatus sit, vnde ingentem futuræ omnium bonorum vbertatis, fiduciam tantis sub auspiciis concipere licebit.

Huius itaq; Martyrij inclytorum quinq; Christi Athletarum breuem tibi Historiam damus. Faxit Clementißimus Deus, vt tot Diuinis stimulati muneribus, vitam in melius commutantes maiora & crebriora in dies capiamus.

POSTEAQVAM ROMANORVM Imperator, FERDINANDVS II. pro sua eximia clementia, Hæreticorum ac Rebellium Bohemiæ, iniquè á se auersos animos, sibi conciliare, ac á cepto in Deum, sacraq; omnia, impietatis, & in se contumaciæ, furore, multis ac variis modis abducere conatus fuisset, nec quicquam benignitate profecisset; decreuit tandem Anno 1620. eorum proteruiam, armis edomare ac reprimere. Quamobrem exercitum suum Cæsareum, cui piæ memoriæ Comitem Buquoium præfecerat, Bohemiam versus destinauit, quò etiam alius, Ligæ Catholicæ nuncupatus, sub Auspiciis Maximiliani Bawariæ Ducis tendebat, Dux Austriâ superiore subiugatâ, postquam copias suas, cum Cæsareis coniunxisset, iter Bohemiam versus, animo capiendi Pragam, carpere cepit. In ipso præfati Ducis, ad bellum procinctu, peruenit in Bauariam, R. P. F. Dominicus à IESV MARIA, Carmelitarum Discalceatorũ olim Præpositus Generalis, quem, famâ Sanctitatis eius admirandę excitatus, pluries sibi ob Spirituale solamen, à summo Pontifice, Dux transmitti petierat; ac tandē à Sanctissimo D. N. Paulo Quinto piæ memoriæ impetrarat. Non mediocriter Patris aduentu exhilaratus Dux, secum eum ad prædictam contra Hæreticos expeditionem duxit. Cùm autem 11. Octobris Anni eiusdem, vniuersi Catholicorum exercitus,

Pilſnam (quæ eſt Bohemiæ ciuitas & valido Mansfeldij militum præſidio tenebatur) perueniſſent, decreuit eam Bauariæ Dux, obſidione cingere, ac expugnare. Obſidio dum adornatur, ad villam quandam ſuburbanam Stenowicz dictam, cuiuſdam Nobilis Bohemi Catholici, paulò ante ab Hæreticis penitus deuaſtatam, Dux hoſpitandi gratia deflexit; quo in loco R. P. F. Dominicus, inter plurima rudera ac ligna confracta, tabellam, vnius circiter ac dimidij palmi altitudinis, latitudinis verò vnius reperit, in qua depicta Saluatoris Natiuitas cernebatur: expreſſus erat Infantulus Dulciſſimus IESVS, & Deipara Virgo illum adorans, à latere eius vno, Beatiſſimus Pater, S. Ioſeph ſtans, ab altero verò duo Paſtores, quibus omnibus ſacris Iconibus, excepta mellitiſſimi pueri, ſummâ cum dexteritate Hæretici oculos eruerant, reliquâ tabellâ omninò intacta. Perculit non mediocriter Patrem, impietas ac barbaries tanta: quare Zelo honoris Diuini, ac eius mitiſſimæ Matris motus, árdentiſſime à Diuina Maieſtate poſtulauit, vt Genitricis ſuæ iniuriam vindicare, eiuſque Nomen per illam imaginem exaltare, ac contemptum illum, in ſummum decus, conuertere dignaretur. Oratione fusâ, inuictam quandam eius, à Deo admiſſæ, fiduciam concepit Pater, imaginem ſumma cum animi demiſſione aſſeruauit, ac deinceps ſecum deuotiſſimè geſtauit. Prodiit ad Pragam Hæreticorum rebellium Exercitus obuiam noſtro, quo Catholicarum copiarum Duces conſpecto, cæteriſque tum poſitionis loci, tum aliarum rerum incommodis prudenter ſpectatis, prælium in quo, de ſumma totius imperij agebatur, ſed vel maximè Comes Buquoius, inire detrectabant.

Quibus cognitis R. P. F. Dominicus, militare consilium ingreditur, de belli euentu trepidantibus animum addit, victoriam pugnaturis Dei nomine pollicetur, ac dictam Deiparæ Virginis imaginem octaua Nouembris, vniuerso exercitui demonstrat, cuius aspectu mirum in modum excitati milites, ac quasi de Victoria certi (cernebant quippe sibi contra Dei, ac eius Virgineæ Matris hostes, qui eius imaginem ignominiosè violarânt, decertandum) acerrimè conflixerunt, ac miraculoso stupendoque prorsus modo, (vt & ipsi inimici inficias non eunt) victoriam (de qua alias) adepti sunt; Peracto prælio captaq; Praga, vniuersi exercitus, sponte conuenerunt, gratias Deo, coram Virginis imagine, cui magna victoriam ex animo adscripsêre relaturi.

Fama tantæ, per Virginis Imaginem partæ Victoriæ, vniuersum penitus Christianum Orbem peragrauit, ac plurimos ad singularem eiusdem imaginis venerationem excitauit. Vnde dum eam R. P. F. Dominicus, Romam secum deportaret, cuncti tàm Germaniæ, quàm Italiæ, Dynastæ, per quorum ditiones transiuit, obuiam illi prodierunt, summumque exhibentes honorem, pretiosa ei munera obtulerunt. Viennæ dum sacra imago Imperatori offerretur, eam humillime adorauit, eique imperialem coronam totam ex auro purissimo confectã, ac duplici inæstimabilium gemmarum ambitu circumuolutam, nec non lapillis pretiosis consperſam, obtulit: Opus sanè incõparabile, quod decem Aureorum millibus æstimatur. Nec minor inclyti Bauariæ Ducis, erga sacram imaginem (vt pote tanti miraculi, quod per eam patratum fuit, oculati testis) pietas ac munificen-

 tia

tia fuit. Tabernaculum enim quoddam, altitudinis decem palmorum, argenteis statuis affabrè fusis, ac pretiosissimis cortinis, aliisque æstimationem fugientibus, ornamentis, condecoratum, vt in eo imago collocaretur, donauit. Infans quoque Hispaniarum, Belgij Domina, aliquot sacrarum Reliquiarum thecas, ingentibus & pretiosissimis conspersas adamantibus, & quod maius est sacrosanctis Christi Domini & Sanctorum refertas Reliquiis, nec non Regium planê altaris ornamentum imagini, muneris loco transmisit. Dux Mantuanus lampadem ex Crystallo (vulgo di roca) ingentem, quam aliquot aurei Seraphini torquibus itidem aureis sustinent, dedit. Lotharingiæ Dux, Magna Hętruriæ Ducissa, nec non alij Italiæ, Hispaniæ, Galliarum: Germaniæ, & Belgij, Principes, varia dona (de quibus peculiaris liber suo tempore cudetur) ad Virginem in imagine sua venerandam, ac gratias pro Hæreticorum debellatione exoluendas, destinârunt.

Postquam ergo Sacra imago, Romam fuisset perlata, R. P. F. Dominicus, totius sui itineris stupendæque per imaginem cælitus concessæ victoriæ, seriem Sanctissimo Domino nostro Gregorio XV. exposuit, qui Imperatoriæ Maiestatis, ac Serenissimi Bauariæ Ducis, nec non plurium aliorum Christianorum Principum, precibus ac desideriis flexus, vt R P. Dominicus, nobilissimum sacellum penes Ecclesiam S. Pauli in monte Quirinali (vbi Seminarium pro infidelium ac Hæreticorum missione P.P. Carmelitæ Discalceati habent) erigeret, ac in eo imaginem, quám decentissimè, in tantæ victoriæ memoriam sempiternam collocaret permisit.

Exstructo sacello Sanctissimus Dominus Noster, vt maiorem ei celebritatem conciliaret Indulgentiam plenariam perpetuam, pro die 8. Nouembris, qui fuit victoriæ, nec non pro 8. Maij, qui fuit translationis, ac per octo sequentes dies largitus est.

Nec satis fuit tantorum Principum erga Sacram imaginem pietati, prædicta eius indicia exhibuisse, nisi etiam authoritate sua ac precibus apud Sanctissimum obtinuissent, vt ad nouum sacellum, celeberrima, quám Vrbs vnquam viderit, processione, Imago Sacratissima transportaretur. Cùm igitur Princeps Sabellus Orator Cæsareus, eiusdem mandato, omnia quæ ad hanc solennem translationem necessaria videbantur, præparari fecisset, ipso mane Diuo Michaeli Archangelo, qui in Dominicum incidit, consecrato, 8. die Maij, Anni Domini 1622. delata fuit imago, ad S Mariæ Maioris Basilicam, iam ante magnificentissimè adornata, & ante altare maius fuit collocata. Et quia verò prædictæ Imaginis ornatus ac apparatus, est quasi ineffabilis, malo illum sacro silentio honorare, quàm rem tantam pro dignitate non explicantibus verbis temerare. In vno arcuum, qui Imagini testudinis instar imminebant, pendebat clauis aurea, quam simul cum vitta vnus ex intimis Friderici, quondam Palatini Rheni Cubiculariis, in prælio amisit: in suprema ornamenti Imaginis parte, visebatur pretiosissimum Reliquiarium aureum, Pyramidalis figuræ, plus quam 50. Adamantibus respersum, in qua Sacratissimi signi Crucis pars, in Crucis formâ, vna integra spina, de Saluatoris Corona, nec non Panniculorum Infantiæ Domini partes continebantur. Subtus erat tabernaculum argente-

um

um dualis figuræ, opus mirabile, gemmis corruſcans, altitudinis 7. palmorum, cui imago Sanctiſsima, omnẽ æſtimationem ſuperantibus gemmis, cohoneſtata, incluſa erat. Imminebat exterius capiti Cæſareum donum, dicta Imperialis Corona, quam duo Angeli argentei, à Principe Sabellio Virgini conſecrati fulciebant. Interius verò ſuprà Imaginem aureis literis exarata legebantur verba,

Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.

Circumcirca miro artificio ac varietate diſpoſita erant plurima aurea & argentea vaſa, elegantiſsimis floribus onuſta.

Hoc modo Imago Sanctiſsima manſit, à Mane dictæ diei, in Baſilica Diuæ Mariæ Maioris, vſq; ad 21. horam, adhibita militum Heluetiorum cuſtodia. Mirus fuit Illuſtriſſimorum Cardinalium, Principum, ac innumerabilis omnis ſtatus ac conditionis populi, ad viſendam ac venerandam ſacram Imaginem concurſus. 20. hora Sanctiſsimus Dominus Noſter GREGORIVS XV. ob inſignem quam erga prædictam præſefert Imaginem, venerationem & amorem, aliquot Illuſtriſsimis Cardinalibus, nec non Principe Sabellio comitantibus, ad dictum S. Pauli Carmelitarum Diſcalceatorum Cænobium venit, chorumq; Eccleſiæ ſtupendo planè modo adornatæ ingreſſus Reuerendiſsimum P. Generalem Carmelitarum Diſcalceatorum. R. P. F. Dominicum, & alios omnes eiuſdem Ordinis Religioſos, ad oſcula pedum benigniſsimè admiſit.

Ornatus Altaris, in quo Imago Sanctiſsima reponenda erat, fuit prorſus admirabilis, ſatis eſt dixiſſe, nunquam Romæ ſimile quid viſum.

Rebus igitur omnibus ad Proceſsionem præparatis, hora 21. ea eſt inchoata; Cuius ordo hic erit.

Præcedebant multi Tibicines cum tubis, & Tympanistæ cum Tympanis; Sequebantur ænea tympana in prælio ad Pragam capta, quæ à Tympaniſtis Vngaricè veſtitis percutiebantur. Poſtmodum Scloppi ac varij generis bombardæ, nec non frameæ & aliorum armorum partes, (quæ omnia in dicto prælio inimicis erepta ſunt) in altis haſtilibus trophæorum inſtar, longo agmine, à militibus ſplendidè veſtitis deferebantur.

Sequebantur poſteà 46. vexilla, tàm Pedeſtrium, quàm Equeſtrium copiarum, quæ erant pars in prælio captorum; quorum 25. ab Imperatore, donata erant Patri Fratri Dominico, 20. verò à Bauariæ Duce, vt ad perpetuum tantæ victoriæ monumentum, coram præfata Imagine appenderentur. Quæ quidem vexilla hoc longo ordine deferebantur.

Præibat primo loco, Vexillum omnium maximum Bauariæ Ducis, (vexillum inquam victorioſum) in haſtili inaurato, quod in campo cæruleo, habebat depictam Beatiſſimæ Virginis Imaginem, dulciſſimum Puerulum geſtantis, quod totum auro erat mirificè elaboratum, habebatque Inſcriptionem. *Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.* Ex alia eius parte expreſſa erant Sacratiſſima Nomina IESVS MARIA, cum Inſcriptione, *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.* Eſtque hoc illud ipſum vexillum quod prima vice explicatum Grosfirche à P. Dominico fuit conſecratum; Hoc vexillum ſequebantur inimica.

Omnium primũ erat ipſiuſmet Friderici, quondã Comitis Palatini, omnium Supremum, ſeu vt Poloni vocant, *Koronna Choragiew*. Habebat vexillum hoc campum album, flãmulis aureis reſperſum, cernebatur in eo brachium huma-

num ex nube protensum flateram in manu gestans, in cuius vna parte positus erat mundus totus, in alia verò Imperatoria Corona; Inscriptio. *In honore Requiem.*

Secundum vexillum erat candidum, magnis aureis flammis distinctum, cum rubeis ac cæruleis marginibus; inscriptionem habebat. *Virtute.*

Tertium erat Puniceum, in cuius medio depicta erat Laurea Corona, nec non quædam alia Corona, quibusdam cum floribus, in medio habebat vnum *I.*

Quartum partim rubeum partim cæruleum; cernebatur in eo miles totus armis tectus, cuidam Furiæ in Campo viridi positæ, ac capillorum loco serpentes habenti, corque deuoranti, & collotenus fune ligatæ, multas hinc inde flammas spargenti, insidens, cum Inscriptione. *Iustum Dei iudicium.*

Quintum erat pretiosum, ac mirabili arte consarcinatum, campum habens croceum, in quo brachium humanum ex nube egrediens, omniaque bellica instrumenta manu complectens, spectabatur. Inscriptio. *Non sine causa.*

Ex alia vero parte, brachium armatum ex nube itidem protensum, manu gladium, in cuius summitate erat oculus, gestans; Inscriptio. *Non dormit, qui custodit nos.*

Sextum confectum erat ex tela aurea, videbaturque in eo auro & argento intexta sententia. *Etsi.*

Septimum habebat campum rubeum flammis argenteis discriminatum, Sententiam verò. *Post Nubila Phœbus.* Ex alia parte. *Vincit Constantia mentis.*

Octauum Croceum; in medio eius Crux exigua, in paruo cæruleo campo cernebatur. Sententia erat, *Si Prudentia non desit.* Ex alia parte. *Fortunæ satis.*

Nonum nigrum, flammis & stellis argenteis conspersum, Imaginem Dei, ex albo equo insidentis, cuius extremus pes paruæ nubeculæ innitebatur, continebat. Gestabat Deus in capite tres coronas aureas, tyaræ summi Pontificis instar, vestemque sanguine tinctam & gladium ex ore prodeuntem. Inscriptio. *Deus fortitudo mea.* Ex alia autem parte, videbatur Iustitia picta, bilancem manu gestans, cum hac sententia Germanica. **Ich liebe Gott vnd die gerechtiken.**

Decimum partim rubeum, partim candidum, margines graduum instar, habebat sententiam. *Cum gaudio incipio. Cum felicitate finio.*

Vndecimum Croceum, in quo videre erat anchoram, cæruleo globo affixam, Sententia. *Spe firmus.*

Duodecimum cæruleum, spectabatur in eius medio, leo erectus, coronatus, faucibus hiantibus, anterioribus pedibus cor, cum quinque rubeis radiis, gestans, Sententia verò supernè & infernè scripta. *Pro Conscientiæ & Patriæ libertate.*

Decimum tertium rubeum, ex cuius vna parte cernebatur Saluator Victoriosus, aureum gestans vexillum; alterâ manu eleuatâ, Sententia. *Confidite ego vici.* Ex alia verò parte. Leo argenteus, erectus, coronatus, Inscriptio. *Auxilium altissimi, fortitudo nostra.*

Decimum quartum confectum erat instar globi, in campo rubeo, ex fasciis cæruleis intertextis confectum erat. Sententia. *Contero.*

Decimum quintum ex fasciis candidis & croceis constabat, in cuius medio globus, seu sphæra rubea, in spheræ verò centro, scutum cum leone coronato cernebatur. Scuto

Imperialis corona eminebat, Sententia. *Honestum pro Patria mori.* Ex alia parte globus rubeus, in eius medio arx, in cuius porta stabat Angelus, auream crucem in capite, calicem verò in manibus gestans, superiùs sententiæ loco, erant Numeri. 1619.

Decimum Sextum ingens, peruetustum, totum sanguine respersum, habebat in campo albo globum croceum, margines verò viridas, & sententiam. *Deo prospiciente florebo.* In eodem vexillo cernebatur, Dæmon flauo colore depictus, instar belluæ horrendæ; Cætera vexilla non describuntur, eò quod propè conscissa & lacera erant, nihilque præter inimicum sanguinem in eis apparebat.

Hæc omnia vexilla gestabantur à militibus fasciatis, splendidissimè vestitis, iucundissimumque omnibus præbebant spectaculum.

Vexilla hæc sequebantur omnium Ordinum Religiosi, magno numero & pulcherrimo ordine, præcedentibus singulas Religiones, suis vexillis ac Crucibus.

Post quos ferebatur à sex patribus Carmelitis Discalceatis, Casulis albis indutis, pulcherrimum S. Teresiæ Virginis, dicti Ordinis Fundatricis vexillum; Sequebantur Canonici ac Prælati omnium Ecclesiarum Collegiatarum, ac Basilicarum Romanarum, cum suis magnis vexillis.

Ingens Cleri postmodum numerus; Post quos Prælati & Sacerdotes, splendentibus ac pretiosis induti casulis, insigni numero ibant.

Sequebantur eos ingens Nobilium virorum agmen, candidas faces cereas à Bauariæ duce dono datas, gestantium; A tergò illorum ibat Nobilitas Romana, ac eximium Nobilium Germanorum agmen.

Immediatè antè Imaginem Sacrosanctam præibant ad mirandi Musicæ chori, tàm ex Capella Pontificia, quàm ex præcipuis vrbis totius conflati, qui variis ac dulcissimis concentibus Virginem Deiparam celebrabant; Veniebat tandem Inuictissima victrix, Imago scilicet Deiparæ, in, eloquentiam omnem superante, adornato thalamo, à 12. fortibus viris, candidatis vestibus indutis gestata, taliter tamen dispositis, vt thalamus à Canonicis, qui à foris illum fulciebant, gestari videretur, quamuis certatim Clerus ad gestandum hoc nobile pondus properaret.

Statim ac imago Deiparæ, præcipuas Diuæ Mariæ Maioris valuas egressa est, insigni tormentorum bellicorum explosione excepta fuit.

Imaginem comitabatur Illustrissimus D. Vitalis, Archiepiscopus Barensis, Sanctisſimi Domini Nostri Aulæ Præfectus, habitu Pontificio indutus; Quem sequebantur Illustrisſimi Cardinales, bini & bini, candelas candidas gestantes, præcedentibus quodcunque par, eorum Aulicis ac Nobilibus; Tandem innumerabilis hominum multitudo agmen claudebat. Iam verò viæ totius, per quam Procesſio transiit, apparatus multiplices, ad deuotionem prouocantes, inuentiones, Musicæ Concentus, Fontes, Theatra, peculiarem & non exiguum librum requirerent; ac proinde vt potecompendij huius angustias excedentes, omittuntur.

Confestim ac imago Sanctisſima, portis Ecclesiæ D. Pauli appropinquauit, obuiam illi processum fuit, á Patribus Carmelitis Discalceatis, faces candidas gestantibus, & tunc explosa fuit magna bellicorum tormentorum vis, quę in Ecclesiæ platea erant præparata. Cui extemplò Arx

S. Angeli, insigni temporis spatio, generali explosione respondit, tota vt Roma concuteretur ac iubilaret.

Statim ac Templo illata fuit Imago Sanctissima, Beatissimus Dominus Noster Gregorius XV. è choro egressus, obuiam illi iuit, genibusque flexis eam est veneratus, ac insigni temporis interstitio, coram ea orauit. Interim concentu admirabili decantatus fuit Hymnus, *Te Deum laudamus*, addita in fine Oratione. Quibus peractis Sanctissimus palatium repetiit, & magno temporis spatio, varij Musicæ chori, certatim Virginis præconia celebrãtes, audiebantur.

Mansit imago in dicto thalamo portatili, ad diem vsque proximum, quo fuit super Altare Maius, in stupendo illo tabernaculo, ad hunc finem á Bauariæ Duce donato, collocata. Sicque per 8. dies integros permansit. Vexilla sunt per Ecclesiam ordinatè appensa: Duodecima eiusdem Mensis die, venit Sanctissimus Dominus noster ad prædictum Monasterium, ac coram Imagine Sacrum celebrauit. Quæ etiam miraculis iam coruscare incipit.

Hoc igitur pacto, exaltata fuit Deiparæ Virginis Imago, ab impiis Hæreticis contemptui adeò habita; Ad Laudem & Gloriam eiusdem Omnipotentis Dei, & ipsius Sacratissimæ Virginis, detestabiliumque Hæreticorum, si non conuersionem, saltim confusionem.

Sacratissimæ huius Imaginis effigies, quantum fieri potuit, ex Romano eoque perfecto Exemplari, Graphicè depicta, cernitur Posnaniæ in Ecclesia Beatissimi Ioseph, Deiparæ Virginis Sponsi, P.P. Carmelitarum Discalceatorum, vt Polonia quoque nostra, aliquod habeat, tantæ victoriæ, cælitùs á Deipara concessæ, monumentum.

COMPENDIOSA NARRATIO MARTYRII QVINQVE PERSARVM, NON ITA PRIDEM, A PATRIBVS CARMELITIS DISCALCEATIS qui Haſpahani in Perſide penes Perſarum Regem morantur, Baptiſatorum.

EXCERPTA EX LITTERIS, QVAS DICTOrum Patrum Superior his vltimis diebus ad ſuum Patrem Præpoſitum Generalem Romam ſcripſit.



ROMÆ Italicè de Superiorum venia impreſſa & nunc

POSNANIÆ Latinitati donata

Anno Domini 1623.

Non

NON ita pridem certiorem Vestram Reuerentiam Admodum Reuerende Pater noster, per litteras reddidi, tam de Missionis huius nostræ Persicæ, Regnorumq; adiacentium, in quibus etiam operarios industrios habemus, statu; quâm de fructibus, quos ex laboribus nostris colligimus, dum nonnullos Persas (quorum vt pote Mahometicæ sectæ hominum difficilis profectò est conuersio) sacro baptismatis fonte abluimus. Alios quotidie Christianæ fidei rudimentis imbuimus. Deo tamen Opt. Max. laus, nullo ex labore vberiorem messem percipimus, quàm ex Armenorum, Nestorianorum, Iacobitarum, aliarumq; nationum Christianarum, quarum his in regnis maximus est numerus, quiq; solo nomine Christiani sunt, instructione, & ad Catholicæ Ecclesiæ vnionem reductione.

Verùm id quòd non mediocriter huc vsq; nos angebat, fuit, missionem hanc nimium prosperis successibus gaudētem, nulla tribulationum vt optabamus & á Deo flagitabamus persecutionum, carcerum, effusionis sanguinis, quibus alias missiones diuina clementia solet fœcundare, lucra produxisse.

Licet enim huc vsq; non defuerint, nec nunc etiam desint, variæ meritorum, quas Deo offerre possimus, occasiones, nihilominus Persarum Rex, quandam ergà nos beneuolentiam semper præsetulit, nec vnquam Christianæ Religionis ergò alicui palam negotium facessiuit. Quamuis

enim ad fidem CHRISTI deferendam, Armenorum aliquos adegerit, id non Religionis gratia , sed ob molestias sibi ab eis irrogatas, vel non persolutum debitum sibi æs, vel alia simili de causa fecisse, creditum fuit.

Sed cùm diuinæ clementiæ proprium sit, iusta se timentium admittere vota, his vltimis diebus quòd tam ardenter exoptabamus nobis concessit, experimentoque ipso agnoscere fecit, quàm suaue sit, eius amore aduersa tolerare, carceres nempe, persecutiones, tormenta, ac ipsius vitæ ac sanguinis profusionem. Et quàmuis vniuersa hæc, nobis ipsis haudquaquam obtigerint (quod tamen futurum quandoq; speramus) auspicatissimè tamẽ quinque inclytis Martyribus (vt iam, iam V.R. intelliget) euenerunt, quorum sanguine missionem hanc irrigatam confidimus vberrimam messem, cunctæ Congregationi nostræ ac præsertim V.R. qui tantopere erga missionem hanc afficitur, acceptissimam, producturam. Inter alios Persas, quos hisce vltimis diebus per baptismatis lauacrum in hac Vrbe Regia Hispahan Christo adiunximus; fuerunt quinque, nempe Elias, Chassadir cognatus eius, Alexander, Ioseph, & Hebrain. Elias aliquo temporis interuallo domi nostræ nobis inseruiens mansit, ipseque erat Vir illius Teresiæ de qua V.R. iam perscripsi, quam post susceptum baptisma tanto Deus fidei nostræ ardore inflammauit, vt instar Apostolæ cuiusdam vbique Christi nomen promulgaret, & cùm tandem ad natiuum solum, quod est Regni Schirai Prouincia quædam Regi Persarum subiecta, peruenisset, multos ad Christum conuertit, inter quos præfatum Chassadir, adeoq; vniuersam illam Prouinciam sermonibus suis commouit, vt eius Præfectus seu Gubernator pluries di-

uersos, & postremis his diebus proprium filium ad nostros Patres Haspahanum miserit, instantissimè petens, vt duo ex nostris Patribus, ad docendum eum veram IESV Christi fidem illuc destinarentur, quod tamen tunc ob operariorum defectum fieri minimè potuit, sed neque postmodum ob iustas causas; vnde rem hanc opportuniori tempori reseruamus; Rex enim Persarum ea tempestate Lusitanis infensus, bellum contra Armusium (quæ est Hispaniarum Regis in Indiis orientalibus insula parum à continenti Regi subiecto dissita) moliebatur, quod & postmodùm aggressus est. Sed iam ad nouos Christianos redeamus. Hi postquàm diuersis temporibus baptismo tincti ac aliquod hebdomadibus Christianæ Religionis doctrina imbuti fuissent, proprias domos repetierunt. At cùm animaduerteremus Regem Christianis Francis (hoc modo ritus Latini Christiani, ob discrimen Armenorum aliorumque ritus Græci, in Perside nominantur) in dies infensiorem reddi, vereri cæpimus, ne dicti tyrones aliquod fidei detrimentum subirent, existimauimus ergo magis è re eorum futurum, si Armusij donec regius furor deferueret cōmorarentur, maiorem interea in Christiana religione profectum facturi.

Quamobrem Pater Frater Ioannes à S. Eliséo, qui multis annis Vicarij Generalis Carmelitarum Discalceatorum munere his in partibus functus est, ad nostros Patres qui Armusij sedem habent, nec non ad arcis & vrbis Præfectum litteras dedit, quibus significabat, se dictos Christianos illuc transmissurum, vt ibi tantisper moras traherent, quos & obnixè commendabat. Has litteras Heliæ, vt pote regionum illarum gnaro, cuique plus tanquam olim nostro domestico fidebat, Armusium deferendas dedit.

Ar-

Arripuit iter hoc magna cùm animi alacritate Sanctus Martyr Elias, quamuis plura sibi imminere pericula non ignoraret, eò quòd tota regio illa esset in armis, ac Armusium à Persis obsidione cingeretur; verùm ardens desiderium, quo DEI seruus flagrabat, amore IESV CHRISTI patiendi, omnia hæc illi leuia reddebat. viam ingressus dum Patriam suam pertransit, Chassadir cognatum suum secum sumpsit. Agnitus fuit Elias à quodam Anglo (quorum nonnulli ob serici commercium cum Rege initum, in Perside morantur) ac apud Chanum (quod lingua nostra ducem significat) qui regnum Schiras Persarum Regis nomine, Proregis instar administrabat, accusatus, quod vicinum Armusium à nobis missus peteret, cuius iussu extemplo fuit carceri mancipatus bonus Elias, cumq; eum vndiq; excussissent, litteras Patris penes eum repererunt, quibus Cham visis tormentis eum continuò subiici iussit, ac inquisiuit, quisnam esset? Francum se esse respondit Elias, imperatum ei fuit Francorum idiomate loqui, quòd cum ignoraret, aliquantum pudore suffusus Christianum se esse Francum dixit, quod apud Persas idem est, ac esse Christianum Catholicum Pontifici Summo morigerum. Inquisiuit postmodum à Chassadir Eliæ cognato quisnam esset, quò, & ob quæ negotia tenderet, cognitumq; fuit eum Christianum esse recens baptisatum, cognatum suum comitantem, nihilque aliud negotij præter dictarum epistolarum perlationem habentem.

Tunc Chan instar rabidi canis ira exarsit, ac odio, quo Christianos prosequebatur percitus, varios modos adhibuit, minas videlicet, suasiones, promissa, tormen-

ta demum, vt duos Christianæ fidei tyrones, ab eius verita-te & cultu abductos, falsæ Mahometicæ sectæ restitueret, sed Clementissimus Deus (qui nunquam sui causa laborantes ac in se fiduciam reponentes deserit) tanta illos gratiæ suæ copia præuenit ac muniuit, vt minas, promissa, tormentaque tyranni prorsus flocci facerent, & inuicto animo palam se Christianos esse faterentur, diuinam insuper munificentiam erga se deprædicarent, quod eos è tenebris infidelitatis Mahometicæ erutos, cælesti fidei lumine collustrasset, vnde & solam IESV Christi fidem se agnoscere, ac in ea viuere & mori statuisse.

Quibus verbis ab Elia prolatis, mirum in modum excanduit tyrannus, & confestim in mandatis dedit, vt in conspectum Armusij, quod inde octo dierum itinere distabat, ducerentur, ibique spectantibus Vrbis illius Christianis crudeli letho necarentur. In hoc octo dierum itinere dici non potest, quantas Dei serui calamitates à crudelissimis illis gentilibus, qui eos fame, siti, vigiliis, contumeliis vexabant, sustinuerint, quibus non contenti, impia quadam importunitate adiunctis minis & blandimentis inæstimabilem fidei thesaurum illis subripere conabantur. Dei verò serui instar auri defæcati, in medio tot flammarum persecutionis constituti, indicibili animi magnitudine ac iucunditate cuncta sustinuerunt. Immensas Christo Domino suo referentes gratias, quòd eius amore aliquid tolerare promeriti fuerint, ac per vniuersum iter, fidem quam in baptismatè susceperant, liberrimè fatebantur.

Postquam in Armusij conspectum deuentum est, truculentissimi illi satellites, pelli asino detractæ Eliam Martyrem insuerunt, ac stipiti seu palo infixerunt, quo in tor-

men-

mento adeo atroci aliquot horis vixit S. Martyr laudans perpetuò ac benedicens Dominum, & meliori quo valebat modo IESV Christi fidem annuncians. Omnia hæc præsens spectabat Chassadir, qui non solùm animum non despondit, sed cognati exemplo ac tormentis mirum in modum roboratus, Christum perpetuò confitebatur, ac sancta quadam indignatione eos, qui ad Mahometicam impietatem eum hortabantur, reiiciebat. Quare stipiti alligato dissectus fuit venter. Hoc modò vitæ huic labili finem imposuerunt duo Sancti Martyres, æternam eamque felicissimam auspicaturi, ministris crudelitatis nec non aliis gentilibus, qui spectaculo intererant, tanta fortitudine animique constantia stupefactis ac confusis. Hucvsque rescire non potui, quidnam de illorum corporibus actum fuerit, diuinæ tamen confido bonitati, tantum thesaurum intactum conseruandum.

Cognouerat Chan Schiranus ex duobus Sanctis Elia & Chassadir, qui nam essent illi tres noui Christiani, quos Pater se Armusium missurum scribebat, eorumque tam antiqua quam recenter in Baptismo imposita nomina, de quibus omnibus certiorem fecit Persarum Regem, mittens ei etiam Patris Fratris Ioannis, quas S. Martyr Elias portabat, litteras. Rex his rebus compertis, (solùm enim nouem leucis ab Vrbe aberat) confestim tres superiùs dictos Christianos, qui nec dum ex illis partibus recesserant, comprehendi iussit, prætereà Darogæ, id est Haspahani vrbis Præfecto, ac Campestrium Copiarum Duci imperat, vt nos domi nostræ includerent, quod ab illis statim factum fuit; Venerunt igitur ambo, ac sigillis cellulas nostras obsignarunt, nosque omnes vnico cubiculo incluserunt, dicentes

Patri Fratri Ioanni si sibi æquum videbatur huiusmodi rebus ansam præbuisse; præsertim cùm Rex tantopere illum semper & amauerit & coluerit, respondit Pater, se minimè Persidem idcirco petiisse, vt honoribus ac fauoribus regiis frueretur, sed vt & ipsum Regem & regnum eius vniuersum Christo per fidem conciliaret, quibus auditis Vrbis & militiæ præfecti discesserunt, magno militum numero in cænobio ad custodiam relicto. Placuerat clementissimo Deo, licet iam esset vltra vigesimam diei horam, vt vnus Patrum ieiunus adhuc remaneret, qui Sacratissimam Eucharistiam quæ in templo asseruabatur, sumpsit.

Nocte illa, officij Diuini persolutionem, nec non alia nostra consueta exercitia spiritualia nobis inhibuerunt custodes, eò quòd metuerent ne aliquibus superstitionibus vel præstigiis vteremur. nihilominus id quòd S. Danielem simili in euentu egisse legimus, fecimus. Poterit V. R. qualisnam noster status fuerit coniicere, domus enim tota plena erat ministris iustitiæ gentilibus, monasterij valuæ occlusæ, nullum amicorum compellare, & quid rerum ageretur rescire licebat, nos omnes vnico cubiculo inclusi, ad vitam CHRISTI causam exponendam comparabamus, id verò quod maximè nos angebat, erat, quod nouis CHRISTI tyronibus opem ferre minimè valebamus, quos extrema omnium rerum inopia laborare probè noueramus, & maximè quia deerat qui illos solari animumque in tali passu addere posset, quare & de eorum in fide constantia metuebamus. Cùm igitur humana deessent præsidia, omnes nos, ad diuinum per orationem implorandum contulimus, petentes quam potuimus feruentissimè, illis

vt ipse D E V S animi robur ad susceptam fidem constanter tuendam impertiretur, ad quam rem faciliùs obtinendam nouorum Sanctorum Martyrum Eliæ & Chassadir suffragia implorabamus.

Mansimus hoc modo inclusi triduo, qualibet nos die ad mortem CHRISTI causa fortiter oppetendam animantes, quilibet nostrum generali vt vocant confessione animi noxas expiauit, ac quibus, in huiusmodi angustiis, fieri potuit modis se ad moriendum præparabat, Prima die legimus Diui Ignatij Martyris vitam, Secunda Diui Laurentij. Tertia Sanctæ Catharinæ Virg. & Martyr.

Non possum pro rei meritò ac dignitate verbis exprimere consolationem, ac internum cordis iubilum, quem Patres percipiebant, vna hora mille illis anni videbatur, præ desiderio pro CHRISTO moriendi, optabant omnes atrocissima prius subire tormenta, multosque alios feruentissimos virtutum actus producebant. Verè tunc Reuerende Pater diuinæ gratiæ vim ac energiam experimento comperimus, ac quanta sit dulcissimi D E I fidelitas erga eos, quos medio Superiorum mandato periculis exponit, cognouimus, vt mihi oculis cernere viderer idipsum, quod in primæua Ecclesia huiusmodi in euentibus Deum operatum fuisse legimus. Secunda die nostræ inclusionis, misit Rex per Secretarium Gubernatoris Vrbis, Patri Fratri Ioanni Epistolas, quas ipse ad Patrem Fratrem Baltasarem Religiosum nostrum ac Armusianæ Vrbis Præfectum scripserat, Sanctoq; Martyri Eliæ deferendas dederat, nec non versiones earundem, quæ iubente Chan de Schiras

pa-

parum fideliter factæ fuerant. instat igitur Secretarius, an suas esse Epistolas illas agnosceret, & an è rei veritate fuissent traductæ, & vt ipsemet eas interpretetur, denique nomine Regis recensuit illi honores ac fauores, quibus eum Rex prosequutus fuerat, & rogo, quærens, an hoc modo grati animi vices illi refunderet, hacque ratione panem & salem quem inuicem comederant illi gratificaretur? Hoc loquendi modo Persis familiaris vsus est, ad significandum, Patres nostros multoties ad cibum cùm Rege sumendum vocatos fuisse, quod præsertim in aduentu illustrium Oratorum, vel Festorum dierum occasione fieri solet: tunc enim Rex conuiuium exhibet, ac Patrem Fratrem Ioannem, & nonnullos alios ex nostris Patribus semper inuitat, maximum illi honorem in huiusmodi occasionibus exhibens, sibi proximos mensæ assidere, ex eademque secum lance cibum capere faciens. Pater Frater Ioannes lecta versione Epistolarum suarum, reperit eam mendaciis refertissimam, quare eas fidelissimè est interpretatus, ac Nuncio Regio respondit, agnoscere se semper fauores & honores á sua Maiestate sibi impensos ac pro iis gratias agere, litteras præterea illas esse à se conscriptas, illosque quinque à se fuisse baptisatos. Cum autem Regis nomine vrgeretur cur eos baptisasset, Respondit. Quamobrem Rex tot Christianos ad Christum abiurandum & Mahometo adhærendum compellit? Sicut sua Maiestas tuetur Mahometi partes, ita ego tueor & promoueo partes Christi, vnde & quotquot voluerint Christo nomen dare, libentissimè illos baptismate sacro tingam, cùm eam solum ob causam meis cùm sociis in Persidem venerim.

Relatum fuit Regi Patris responsum, quod sibi vehe-

men-

menter gratum fuisse ostendit, præsertim verò placuit ei interpretatio litterarum quas Pater Armusium miserat, magnopere quippè ab ea quam Schiranus Chan miserat, discrepabant, quam dubio procul aliquis Religioni Christianæ infensus consarcinarat, deinde subiunxit Rex. Pater rectè & rationabiliter loquitur. Eo tempore, quo Regi Patris responsum perlatum est, aderant ei ducenti] ferè Mulhæ (sunt hi Doctores legis Mahometicæ) qui tumultuantes ac furibundi Regem conuenerant, conquerentes Mahometi sectam pedetentim interire, nosq; iam ad quinque millia Persarum baptisatorum ad Christianas ditiones ablegasse, vt tantis malis remedium Rex adferret vociferabantur, variis modis contra nos Regem irritantes. Quos Rex, Patris responso accepto, indignabundus pluribus verbis asperis & contumeliosis proscidit ac inter cætera dixit. Pater rectè & rationi conformiter loquitur, vos estis stercoriuori, recedite à conspectu meo, deinde ait. Iam decem & octo anni effluxerunt, ex quo cùm Patre nötitiam contraxi & familiariter ago, ne semel quidem ab eo mendacium audiui, neque aliquid vnquam á Patribus perperam factum intellexi, sunt enim probi viri. quibus auditis, ignominia & pudore pleni Mulæ abierunt; tuncque patuit, quantum Rex erga Patrem Fratrem Ioannem afficeretur. Ex quibus coniicimus, ea quæ aduersus Christianos nunc molitur & præteritis temporibus molitus est, præsertim verò Subditos sibi Armenos variis modis vexando, & permittendo vt interdum eorum filij in seruitutem redigerentur, ac Christiana mysteria eiurare compellerentur, omnia, inquam hæc propterea facta existimamus vt Mulis morem gereret, ac sibi subdito populo ob alicuius rebellionis

metum rem gratam faceret. Nec metus videtur inanis, iam enim aliquoties, coniurationes validas, ad vitam sibi eripiendam, & aliquem filiorũ ad regnum sublimãdum detexit, quã etiam ob causam ex tribus quos habebat filiis, duos iam è vita sustulit, & quidam existimant etiam tertium; crediturque filium primogeniti sui Regni hęredem destinare, qui cum adhuc sit infans, nondum est Regni capax. Quamuis non inficier, Regem ad iram natura valde procliuem esse, quæ passio tristitiæ iuncta (quam ob tot rebelliones ac mortem propriis filiis illatã patitur) tantum incrementum in eo sumpsit, vt aliquando extra se rapi videatur, quo tẽpore crudelia & plane feralia decreta sancit, & promulgat.

Rebus hoc modo cùm Patre actis, mandat Rex exhibere sibi tres Christianos monitu Chani Schirani, Haspahani iam captos, & cum iis sex Cathecumenos, qui sese ad sacrum baptisma parabant eadem occasione tentos. Quos cum venissent, ipsemet Rex interrogat Christiani ne essent an non. Responderunt tam sex Cathecumeni quàm duo ex tribus iam Christianis, Iosephus nempe & Hebrainus, se minimè Christianos esse. Alexander solus inuictum animum præseferens seriò se Christianum esse asseruit, cui Rex vt Christo nuncium remitteret ac Mahometo denuo adhæreret mandat. Alexander summa cum libertate ac animi ardore dixit, se nunquam huiusmodi scelus admissurum, vt veram Iesu Christi fidem ob falsam Mahometi sectam desereret, diuinæ se fidere clementiæ addidit Christianum se victurum ac mortem subiturum.

Excanduit ob adeo liberam ac intrepidam Alexandri vocem Rex plurimum, vt pote cui in more positum est, nullam non solum repugnantiam sed ne tergiuersationẽ qui-

dem

dem in mandatorum suorum adimpletione pati, inde iussit, vt ex templo lapidibus obrueretur Alexander, corpusq; igni cremaretur. Absq; mora Regij ministri sententiæ paruerunt, felicissimus autem Alexander Christum palam confitebatur, eiq; grates referebat, quod se dignum fecisset, vt pro suo amore vitam profunderet.

Non valuimus hucvsq;, alias huius tam illustris martyrij circumstantias exploratas habere, eò quod illud præter omnium spem, ac extra Vrbem acciderit, sacras tamen Martyris reliquias ad Christianorum manus deuenisse, ac magno cùm honore asseruari scimus.

Octo reliqui, duo nimirum Christiani, & sex Cathecumeni, qui vnà cum Sancto Martyre Alexandro Regi exhibiti fuerant, mandato eiusdem ad Patrem Fratrem Ioannem adducti sunt, vt quinam ex illis essent sacro baptismate initiati, indicaret, licet vt dictum est, cuncti se Christianos esse coram Rege pernegassent.

Perducti sunt ad nos catenis vincti secunda nostræ inclusionis die, prima circiter noctis hora, dū solitæ orationi mentali vacamus, euocatus fuit Pater ab Iustitiæ ministris, qui ab eo percunctati sunt, qui nam essent duo Christiani sacro fonte delibucti.

Pater visis captiuis, occasione vtendum ratus, animum illis cæpit addere ac serio hortari, vt fidem qua eos imbuerat quamq; sibi Deus in sacro baptismate infuderat, & ipsi summa cum animi iucunditate susceperant palam confiterentur, addens nefas esse Christianis tali tempore & occasione Iesum Christum abnegare. postmodum à Rege missis (quem nihil horum latere probè norat) dixit, Iosephum & Hebrainum esse duos, à se baptismo initiatos.

Displicuit nonnihil vni duorum à Patre se fuisse propalatum, vnde & verbis quibusdam conqueri cæpit, alter verò omnino tacuit.

Summo stupore digna visa sunt media, quibus dulcissimus Deus tunc vti voluit, ad opem duabus illis animabus ferendam, illas vt Martyrij laurea insigniret, siquidem ipsosmet iustitiæ ministros homines infideles, à quibus deducebantur permouit, vt illos ad mortem pro CHRISTI fide subeundam hortarentur.

Horum primus sic eos affatus est. Ne quæso mortem formidetis, quandoquidem nulla nobis alia superest hæreditas, Christiani estis, in Christi fide moriamini. Alter ait. Mors est momentanea, post quam CHRISTO fruemini. Postremus subiunxit. CHRISTVS viuit nec Mahometis instar mortuus est, estote fortes animo ad quam tum cælum ituri & cum CHRISTO permansuri.

Postera luce summo mane, reduxerunt nobis iterum octo vinctos, & cum illis Lusitanum quendam Sebastianum Diezium à Rege in bello captum, qui Haspahani vinctus detinebatur, qua in re mira DEI prouidentia enituit, plurimum enim (vt post patebit) militis huius præsentia & ad diuinam gloriam & ad duorum Christianorum salutem contulit.

Prodij ad Monasterij ianuam, panem ad omnes reficiendos proferens, quem sex Cathecumeni repudiarunt, sed Iosephus & Hebrainus læto nos vultu excipientes libenter acceperunt, ac Sebastiano etiam Diezio obtulerunt.

Accersiui postmodum alios Patres ac religiosos nostros, ob mutuum omnium solamen, & pluribus duos Christianos ad perseuerantem IESV CHRISTI confessionem

sum

ſum adhortatus, ponens illis ob oculos inæſtimabilem gratiam, quam à DEO conſequebantur, dum per Martyrium finem vitæ imponebant, quam gratiam vt maximi facerent, monebam, præterea vt præ oculis haberent inuictum animi robur triumſuorum ſodalium, Eliæ, Chaſſadir, & Alexandri, quos ineffabili gloria cæleſti iam frui aſſerebam, quorum & ſuffragia noſtraſq; qualeſcunque preces illis pollicebar, & præ omnibus IESV CHRISTI fauorem & adiumentum, ob quod tormenta non ſolum illis tolerabilia, ſed & ſuauia ac iucunda futura eſſent promittebam.

His expletis, omnes illos multis cùm lachrymis amplexati ſumus, licet non ſine pia quadam inuidia adeo felicis ſortis ipſorum, æſtimantes nos tanta gratia minus dignos, tandemq; illis valediximus, qui á nobis læti ac quaſi interius renouati abierunt, nobis mæſtis relictis, vt pote martyrij quo priuabamur cupidiſſimis.

Contulimus nos ad Deum orandum, vt quoniam vt optaueramus & petieramus nobis permiſſum minime fuit illis adeſſe, & quam in huiuſmodi euentu potuiſſemus opem adferre, ipſe illis auxiliò eſſe dignaretur. Vices tamen noſtras egregiè egit Sebaſtianus Diazius, qui aſſiduis illos hortamentis ſtimulabat ad fortiter militum CHRISTI inſtar, pro eius Religione decertandum.

Duo dicti Chriſtiani, & alij ſeptem, Sebaſtianus nempe Diazius & ſex Cathecumeni, ter circa vniuerſam Haſpahani vrbem ducti ſunt, poſteà Regi fuerunt oblati: in toto hoc itinere & coram ipſo Rege tam Sebaſtianus Diazius, quam duo Tyrones Chriſtiani, elata voce CHRISTVM confitebantur. Imperauit Rex vt Ioſephus & Hebrainus

lapidibus obruerentur, corpora verò eorum ignibus traderentur, Sebastianus Diazius & sex Cathecumeni iterum carceri mancipantur.

Deinde publica præconis voce vniuersam per vrbē promulgatum fuit, vt quicunque peculiari Machometo amore deuincti essent, certatim ad duos Christianos lapidibus necandos conuenirent, qui eius legem repudiauerant.

Statim ac ad locum martyrio destinatum peruentum fuit, Vrbis Præfectus (qui à fide Christi ante Apostatauerat) ex equo desiliit, & vocatis Mulis omnem mouit lapidem, vt duos martyres ad colendum Mahometum induceret, solitas carnales ac temporarias rationes illis proponens, insuper non solum veniam à Rege pænæq; capitis remissionem, sed etiam grandia munera illis pollicebatur, quòd eò importuniùs fecit, quo magis non solùm de Præfecti ac Mularum honore, sed etiam de ipsiusmet impij Mahometis æstimatione agi videbatur. Ad quæ intrepide ac constanter respondit Iosephus (qui primus coram Rege se Christianum esse negarat) nulla se ratione huiusmodi scelus patraturum, satis superq; esse, semel coram Rege dum se Christianum esse prima vice inficiatus est admissum, cuius rei vehementi cordis dolore se tangi affirmauit, interimerent illum vt illis liberet, Christianus quippè (inquit) sum, & spem fixam in meo Domino Iesu Christo, à quo tot iam munera accepi, habeo; illum mihi in tormentis & morte eius amore toleranda adfuturum. Confestim Mahometani & præsertim Mulæ arreptis saxis acriter illum cædere cæperunt, cùm Sanctus Martyr lapidaretur ac pene iam conquassato capite iaceret, alta voce clamabat Benedictum sit Sanctissimum IESV nomen, vera est fides

eius

eius & lex, impia verò & falsa Mahometis, in qua nemo salutem adipisci potest. Deus vobis (ait) ignoscat Fratres, ac sanctum suum lumen impertiatur; Affirmabatque nullum se persentiscere dolorem.

Hebrain qui erat vltimus, morte Christi causa afficiendus, variis denuo modis ad Fidem Christianam deserendam, & Mahometanam sectam amplectendam vrgebatur. Respondit nequaquam se rem hanc facturum, verum se esse Christi veri Dei & veri hominis discipulum, ne amplius operam in suadenda sibi falsitate perderent, & coronam qua eius socij in cælis fruebantur retardarent. Dum stipiti alligaretur Martyr, dixit ministro iustitiæ, se illi ex animo ignoscere, atq; à Deo petere, ne ab eo rationem sui sanguinis exigeret.

Non potest verbis dignè explicari, quo furore Diaboli Ministri sanctum sauciarint Martyrem, cùm præsertim cernerent, nullum illorum, à proposito Christianæ fidei, sua opera resiliisse, quin potius summo dedecore ac ignominia ab omnibus se notari.

Statim ac Sancti Martyres animas in cælis triumphaturas emiserunt, corpora eorum concremarunt, custodia sacris Reliquiis adhibita, quas nihilosecius omnino integras Christiani nacti sunt.

Displicuit non mediocriter Regiis ministris publica sententiæ Regiæ exequutio, nunquam enim Sanctos Martyres adeò fortes & inuictos in morte Christi causa subeunda autumabant, cum præsertim magnam populi,

qui

qui copiosissimus ad nunquam visum spectaculum confluxerat, commotionem animaduerterent, quorum multi palam fatebantur fortiorem & efficaciorem esse Religionem Christianam, sua.

Dum Sancti Martyres extremo plectuntur supplicio, nos solitis cum custodibus inclusi, diuinam clementiam assiduis fatigabamus precibus, vt per eos Sanctissimum suum nomen exaltari vellet.

His actis Rex Kandam discessit, vbi eum vniuersus exercitus suus præstolabatur, antequam ab vrbe migraret, mandauit sex Cathecumenos liberos dimitti, iussit prætErea, vt non solùm nullam nobis exhiberent molestiam, sed vt honore etiam prosequerentur, pristinamque libertatem diuina in nostra Ecclesia celebrandi officia restituerent, præseferens, ea quæ circa martyres ac nos acciderant, se inuito & quasi coacto euenisse. Sed quia negotium hoc ministris Regiis executioni mandandum commissum est, Rege longissimè ab Vrbe proficiscente. Vnum Præfectorum in cænobio ad eius custodiam reliquerunt, ex Regis mente id esse asserentes, neque eum custodis vices agere, sed solum esse Maymondar id est Hospitum præfectum, Hanc ob causam minimè vt in more habebant, ad nos concurrunt Christiani. DEVS tamen Opt. Max. ex omnibus his multa & grandia commoda elicuit, magnam siquidem nobis, hac persecutione plurium Persarum existimationem ac beneuolentiam conciliauimus, quinimo ipsimet custodes nostram propalant egestatem, dicuntque nos esse pauperes & bonos Christianos.

Sed nihil ita ad diuinam hac in parte clementiam celebrandam prouocat, quàm sensus & affectus quem vniuer-

ſa Vrbs erga nos præſetulit (cùm præſertim omnes nos atrocibus è vita tormentis ſublatos crederent) Nam cùm vice quadam poſt dictorum Sanctorum martyria per Vrbem quaſi animi gratia incederemus, certatim nobis applaudebant omnes, magnum exhibebant honorem & in DEI præconia prorumpebant. Et quamuis quaſi incluſi à cuſtodibus teneamur, Officia tamen diuina in Eccleſia frequentamus adhibito etiam Campanarum pulſu quas præſtantes habemus, & licet magna rei numariæ penuria laboremus præteritis tamen diebus, ne quædam inſignis quæ venalis proſtrabat ad alios uſus liquefacta deſeruiret eam comparaui, diuinæ confidens bonitati, nos aliquando ea in præcipua Vrbis totius Meſquita (id eſt Mahometica Sinagoga) vſuros.

Remanſimus vniuerſi lætiſsimi ac ſpirituali quodam ſolamine repleti; Et maximè cùm apertè iam effectum intercesſionis ac patrocinij quòd Sancti quinque Martyres huius miſsionis gerunt delibemus. Vnde & copioſam animarum meſſem quandoque expectamus. Conſanguinei Sanctorum martyrum, non vulgarem erga nos beneuolentiam præſeferunt. Plurimi ex vrbe doctrina & nobilitate clari, ſalutatum nos mittunt, rogantes, eos vt excuſatos habere velimus, quod ipſimet id officij genus coram, nobis exhibere non poſsint, ob adeò recentem rerum geſtarum memoriam. Et nihilominus licet ſic à cuſtodibus coarctati ſimus, non defuit qui ſummo cùm ſuo periculo nos baptiſmum inſtantiſsimè petens acceſſerit.

Receſſerant à Ieſu Chriſti fide, & Mahometo licet inuito animo nomen in quadam alia perſecutione dederant Armeni Chriſtiani, quadraginta trium oppidorum Regi Per-

sarum subditorum incolæ, hi omnes quinque martyrum horum exemplo permoti, Christianos se esse ac pro Christo mori paratos protestati sunt. Quibus Rex auditis nihil omnino contra eos molitus est, quinimo in mandatis dedit, vt quilibet in ea lege in qua natus est viuat, & superiùs dictis Armenis libros sacros à Persis, dum eos ad Christianam fidem repudiandam compellerent, ablatos, restitui iussit. Cuncta hæc fructus profectò, ac felicia germina sunt mortis & suffragiorum quinque horum martyrum inclytorum.

Damus modò operam, vt hæc ipsa Sanctorum Martyrum acta, in forma vt aiunt authentica, opera Notarij publici adhibitis testibus plurimis, qui iis interfuerunt, imò & ipsis ministris Regiis, conficiantur & conscribantur, quę Vestræ Reuerentiæ quamprimùm vt iis Romæ vti posset transmittam.

De missionum harum operariis nil ampliùs dicam (ne Epistolæ modum excedam) nisi quod in his monasteriis & præsertim Haspahanensi, summa cùm Regularis vitæ obseruantia viuitur, ac si domus hæ nouitiorum educationis essent destinatæ. Qui omnes pedibus Vestræ Reuerentiæ prouoluti, petunt Congregationis nostræ preces, & præsertim Vestræ Reuerentiæ cuius etiam sanctam benedictionem, in qua plurimum spei collocamus, poscimus.

Oramus quoque vt Missioni huic opem ferat, plures in dies operarios transmittendo, cùm messis hæc etiam plurimis satis esse possit. Et velim credat mihi Vestra Reuerentia Admodùm Reuerende Pater noster, quod interdum, vt sic dicam cor mihi præ commiseratione scinditur, dum considero multos postulantes panem Sancti Euangelij, nec

pos-

poſſe nos omnibus vt cupimus ob noſtrorum exiguum numerum facere ſatis. Zelus ſalutis animarum qui in Reuerentia Veſtra eximiè ſplendet, ſilentium mihi iam imponit, non enim ambigo, quam exoptet miſsioni huic etiam ſanguinis proprij effuſione ſuccurrere. Deus Reuerentiam Veſtram nobis diutiſsimè incolumem ſeruet, & tandem perenniter coronet, quemadmodum & nos filij eius minimi Suæ Maieſtati aſsiduè ſupplicamus, Datæ Haſpahani vndecima die Aprilis, A. D. 1622.